



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXXII. De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

TITULUS XXXII.

DE ORATIONE DOMINICA ET
SALVTATIONE ANGELICA.

I. **O** Ratio Dominica *Pater noster*, & Saluatio Angelica *Ave MARIA* semper dicitur secretò ante omnes Horas, præterquam ad Completorium; in cuius principio post Lectionem breuem *Fratres, Sobrij*, dicto Versu *Adjutorium nostrum* dicitur tantùm *Pater noster* secretò, & in fine Completorij statim post Orationem B. *MARIÆ* dicitur *Pater noster, Ave MARIA, Credo* totum similiter secretò. Finitis horis, & dicto Versu: *Fidelium animæ* dicitur similiter secretò *Pater noster* tantùm, nisi sequatur Officium B. *MARIÆ*, quia tunc post illud dicitur *Pater noster*, ut supra; & nisi alia Hora subsequatur, tunc enim semel tantùm dicitur *Pater noster* cum *Ave MARIA* pro principio sequentis Horæ; quâ finitâ dicitur *Pater noster*, ita ut semper dicatur illud in fine horæ ultimæ. Si autem post *Vesperas* immediatè sequatur *Completorium*, dicto *Fidelium animæ*, incipitur Versus *Iube Domine*.

II. Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clarâ voce *Et ne nos inducas*, semper in principio eâdem voce proferuntur hæc duo verba: *Pater noster*, ut in *Precibus* & similibus: aliàs nunquam proferuntur, sed dicitur totum secretò. Ad *Laudes* & *Vesperas*, quando in *Feriali Officio* dicuntur *Preces*, totum dicitur clarâ voce ab *Hebdomadario*.

III. *Saluatio Angelica* semper dicitur ante *Officium B. MARIÆ*, quando non coniungitur cum *Officio*

Officio Domini, quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.

TITULUS XXXIII.

DE SYMBOLO APOSTOLORVM ET SYMBOLO S. ATHANASII.

I. **S**ymbolum Apostolorum *b.* semper dicitur ante Matutinum & Primam, & finito Completorio post Orationem Angelicam totum secretò: etiam si ad Primam & Completorium iterum dicendum sit cum Precibus. Quando verò dicitur cum Precibus ad Primam & Completorium, clarâ voce profertur *Credo in DEVM*, & in fine *Carnis resurrectionem*, reliquum dicitur secretò: aliàs totum secretò dicitur, ut supra.

B. Sic dictum, quia Apostoli in unum conferentes illud composuerunt.

II. Symbolum S. Athanasij dicitur ad Primam post Psalmum *Retribue*; in omnibus Dominicis per annum, quando Officium sit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis & Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis & Pentecostes, in quibus dicuntur tres Psalmi consueti, ut in Festis: In Dominicis infra alias Octavas, & in Dominica Trinitatis *c.* alias nunquam: neque si aliquod Festum Duplex celebratur in Dominica. Et in fine illius dicitur *Gloria Patri*.

C. Vnde si alicubi Officium SS. Trinitatis cum Octava celebratur, non propterea, ut Theophylus Raynaudus in Heterod. Spirit. cap. voluit, dicitur per totam Octavam, sed in sola Dominica Trinitatis, cum huic soli Rubricæ ob Mysteriorum altitudinem hoc Canticum attribuant.